

N. 302.

A. D. 1363

(5 ottobre; Indiz. II) - Napoli

Provenienza Cattedrale.*Rogatorio* *Iohannes Aversanus de Salerno vice prothonot.**Contenuto* Roberto dà incarico al giudice *Guillelmus de Recuperantia* di Napoli e ad *Angelus de Ravello*, suo luogotenente, di esaminare il ricorso fatto dal vescovo Cannese *Raynaldus* e di vedere se sia vero che i baiuli e i cittadini di Cerignola abbiano fatto rompere i titoli del tenimento, detto *Putheus Culmus et Planum de Caprariis*, da più di cento anni di proprietà della Chiesa Cannese, facendolo invadere dai loro animali.*Bibliografia* Inedita.

Robertus, dei gratia, Imperator Constantinopolitanus, Romanie despotus, Achaye et Tarenti Princeps. Angelo de Ravello Locumtenenti: Capitaneo nostro Terrarum Altamure, Minerbini, et Cideniole, Cambellano, et Iudice Guillelmo de Recuperantia de Neapoli, Iurisperito, familiaribus, et devotis nostris, Salutem, et dilectionem sinceram. Propositam noviter Coram Excellentia nostra querelam pro parte venerabilis Patris, domini fratris. Raynaldi dei gratia, Episcopi Cannensis dilecti Cappellani, Consilarii, et familiaris, ac hominum seu Civium Barolitanorum devotorum nostrorum, audivimus continentem quod cum Cannensis Ecclesia, seu Episcopus idem, ipsius Ecclesie nomine, ac ipsi Barolitani Cives, Annis iam centum preteritis, et, a tempore, cuius in contrario, hominum memoria non existit, habuerint, tenuerint et possederint pro se, et alios eorum nomine, tenentes, et possidentes, quoddam tenimentum quod dicitur Putheus de Culmo, et Planum de Caprariis. Pridie tamen de mense Augusti, Anni prime Indictionis nuper elapse, Baiuli et nonnulli homines dicte Terre Cidiniole ad tenimentum accedentes prefatum, titulos, seu terminos in tenimento ipso, et finibus eius, a diu affixos, fregerunt, abindeque animalia hominum laborantium in tenimento prefato, quo voluerunt, pro eorum libitu asportarunt. illudque tenent, contra debitum rationis; in ipsorum Ecclesia, Episcopi et hominum, ac Iurisdictioni eorundem, gravem dampnum, et notoriam lesionem. Super quibus, pro ipsorum Exponentium parte suppliciter per nastram eis Excellentiam provideri, nos, hec, si vera sint, detestabilia plurimum Reputantes, Supplicationi eorum huiusmodi, iuste utpote prout subsequitur, Annuentes, Tibi prefato locumtenenti, Committimus et mandamus, Teque Iudicem Guillelmum, etiam, de certa nostra scientia tenore presentium exortantes, quatinus, de positione, et antiqua affixione terminorum predictorum, in quibus locis, termini ipsi affixi extiterint et de secuta, qua exponitur motione ac divulsione terminorum ipsorum, ac expositis aliis supra dictis, per homines antiquos partium earundem, et huius rei conscios, Curetis inquirere diligenter; et quicquid per inquisitionem eandem invenire vos contingerit, fideliter in scriptis redactum, sub sigillis vestris, simul aut disiunctis, nostre Excellentie intimetis. Subiungimus insuper, ac volumus, et Mandamus, quod Recepta per te locumtenentem prefatum a Patronis animalium prefatorum, ydonea fideiussoria cauctione, de solvendo baiulis antedictis, Ius affide, seu diffide, eis debite, pro animalibus antedictis, in casu, scilicet, quo per inquisitionem eandem